



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Nouum & maximum certamen de Episcopatu Canisij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

*Novum, &  
maximum  
certamen de  
Episcopatu  
Canisij.*

videret: nec viam dispiceret euadendi. Itaque in  
lo fructu publico sentiebat in perpetuo agendum  
sibi angore, in perpetuis morsibus scrupulorum  
Tamen obtemperare paratus erat: cum te-  
tium, & grauiissimum de Episcopatu ipso cer-  
men redintegratur, vbi Pontifex nouus Iulio Te-  
tio Paulus Quartus susceptus est. Res adeo proci-  
fecta habebatur Viennæ, vt passim pleriq; Au-  
corum, ac Procerum, qui res maxime nosse puta-  
bantur, vulnerarent aures Serui Dei, certas iam  
traditasque ei infulas gratulantes. Angebatur in  
intimis sensibus, & cum suspirio ingeminabat,  
dignitatibus liberet pauperes suos Dominus Ie-  
sus Christus Crucifixus. Accumulare apud eum  
dem Dominum preces, ac vota, & apud Ignatium  
supplices commendationes non desinebat. Ne-  
ex nihilo ea Viennæ fama, & Canisij formido-  
rat. Quippe ipsa in Vrbe nuntiatum Patribus et  
Ferdinandum, cum institisset à Pontifice Paulo  
vt iuberet illum à Canisio honorem suscipi, id  
quod petierat, impetrasse. Quo accepto nuntio  
Ignatius ad Cardinalem Carpensem, quo tum Pa-  
trono societas utebatur, aduolat. Cardinalis bo-  
no animo iussit esse. Modo, inquit, Canisius ipse

con-



constans in renuendo perstet, in me recipio Pontificem ne utiquam vim allaturum inuito. Scribat ad Pontificem, quæ pro sua causa habebit, antequam munus admittat: cetera mihi curæ erunt. Quæ cum significata essent Canisio, & immobili constantiam obtineret, noluit summo iure uti Rex. Itaque seculi eius anno quinquagesimo sexto Iacobum Lassum admonuit, ut tandem, quando de sententia dimoueri nullo modo Canisius posset, urgendi eius negotij curam omitteret. Iacobus eas ipsas literas Ferdinandi, quas etiam num habemus, Patribus dedit. Polancus iucundissimum exitum Canisio cõfestim significauit: is ei velut triumphans rescripsit, continuo, quæ sponderat, Euãgelia sacrificiorum septem persolutorum. Annos quatuor sollicitum negotium tenuit, quo à nobis semel exposito, ad institutam seriem temporum stylus est reuocandus.

Nouus iam annus affluxerat quartus de eo seculo, & quinquagesimus. Eius anni principio, quod pridem Ferdinandus Rex postulauerat, cõcedendum fuit, ut Canisius in Collegium Archiducum Viennæ migraret, alter Parentum (ita duos Præsides vocant) in eo futurus. Professores discipli-

1554.

Proficitur  
Collegio Ar-  
chiducum.